



Theodo filius fuit Adalgeri regis Boiorū, qui ad Tolbiacum in prælio interiit. Hunc Boijs, cum foedus iniissent cum Francis, sibi ob uirtutes primū ducem constituerunt, & in eius uerba iurant. Is à Clodoueo cōtra Vestogothos in auxilium ac citus, comparuit, atq; suæ fortitudinis documentū dedit. Eo enim bello Halaricus rex Visigothorum uictus, atq; gens illa in Hispaniam profligata. Tandem tamen Theodorici Ostrogothi interuentu bellum illud compositum fuit. Cum autem Theodo cum Boijs hactenus tātūm eas terræ partes, quæ cīs Danubium essent, possideret, Clodoueus Franco ei author fuit, ut Danubio trāsito ferilem illam Romanorum prouinciam inuaderet, ac suæ ditionis faceret. Itaq; Theodo, qui sua sponte laudis esset cupidissimus, anno Christi 508. Hunnorū reliquias, Abaros, Auaros, & Charnos adhuc incertis sedibus uagantes in societatem bellī traxit, atq; à Franciis auxilia accepit. Coeūt postea duces, & de bellī ineundi ratione consultant, placuit omnibus copias partiri, & diuersis locis Romanos aggredi, ne alius alij auxilio esse possit. Et primò castella munitiora oppugnāda censuerūt, & tandem Augustam Tiberij (quæ hodie Ratisbona dicitur) aggrediendam esse concluserunt. Re cōclusa Theodo hostem in multis locis aggreditur, atq; ferro & flamma omnia populatur. Itaq; in omnibus locis foeda fuga orta, incolæ Augustam Tiberij petunt, atq; eam natura munitissimam milite & annonā implent. Hoc modo pleraq; oppida & castella, initio bellī deserta, Boijs cesserunt.